

von βονθ]οί nur als 'exempli gratia' gemachter Vorschlag beurteilt sein, ich würde ihn nicht in den Text gesetzt wissen wollen, rechne vielmehr lieber mit einer wie immer gearteten Erwähnung des wichtigen Stichwortes (vgl. V. 720) εὔνοια oder eines andern Ausdrucks, der den von mir a. O. behandelten Zusammenhängen gerecht wird.

Endlich noch ein Hinweis zur Timonlegende! Oben S. 165 habe ich das Grabepigramm des Timon (Plut. Anton. 70, vgl. Anth. Pal. 7, 313) berührt und in Abweichung von den Ausführungen Bertrams (Die Timonlegende, Diss. Heidelberg 1906, S. 27), auf die ich verwies, die Möglichkeit nicht ausgeschlossen, daß dies Epigramm früher als die allgemeine Schicht der von Neanthes vorgefundenen Legende ist, und ich habe als wahrscheinlich hingestellt, daß es einen charakteristischen Zug schon des älteren Timonbildes zum Ausdruck bringt. R. Kassel weist mich darauf hin, daß das Grabepigramm von A. Wifstrand⁸⁾ aus formgeschichtlichen Gründen als vorhellenistisch angesehen wird: wenn Wifstrand damit recht hat, ist das von mir als wahrscheinlich Bezeichnete sogar sicher.

Bonn

Wolfgang Schmid

DE SOMNII SCIPIONIS TEXTU CONSTITUENDO¹⁾

I. De natura memoriae Macrobianae

1

Somnii Scipionis, celeberrimae illius fabulae, quam Cicero in ipso consummati de re publica operis fastigio locavit²⁾, memoria est duplex. alia enim est orationis continuae, quae in co-

8) Von Kallimachos zu Nonnos, Lund 1933, S. 161; Wifstrand bemerkt, daß seine Beurteilung sich mit dem sprachlichen Befund verträgt: 'In der Sprache zeigt das Gedicht nichts spezifisch Hellenistisches: ἀπορρηξας ψυχὴν entspricht dem πνεῦμα ἀπορρηγνύναι der Tragödie, auch βαρυσταμίωv kommt in der Tragödie vor.'

1) In hac commentatione conscribenda praesto mihi fuerunt editiones librorum de re publica hae:

A. Mai (Stuttgartiae et Tubingae 1822), G. H. Moseri (Francofurti ad Moenum 1826), I. C. Orellii (in vol. IV Operum Tullianorum, Turici 1831), F. Osanni (Gottingae 1847), C. Halmii (in Orellii ed. alterius vol. IV, Turici 1861), I. G. Baileri (in Baileri et Kayseri Operum Ciceronis vol. III, Lipsiae 1865), C. F. W. Mülleri (vol. IV 2, Lipsiae 1878), K. Ziegleri

dicibus commentariorum Macrobiani huius scripturae aut praefixa aut subiuncta est³⁾, alia locorum ex integro opere excerptorum, quos interpres operis Tulliani commentariis suis inseruit, quibus duae fere partes totius fabulae continentur⁴⁾. discrepant autem verba scriptoris apud Macrobius servata a continua oratione locis cum aliis multis tum quibusdam in ea parte, qua Cicero praeclaram illam ratiocinationem Platonis de aeternitate animi (Phaedr. 245C-E) in sermonem Latinum convertit (rep. VI

(ed. Teubnerianae fasc. 39, Lipsiae ¹1915, ²1929, ³1955, ⁴1958; editio quarta in Somnio nusquam a tertia discedit, cf. praef. p. XXXIX), L. Castiglioni (ed. altera, August. Taurin. 1947), C. Buechneri (Turici 1952), L. Ferrero (ed. alt., Florentiae 1953), H. Hommelii (Laelius. De re publica [partes selectae], Heidelbergae ¹1948, ⁴1953, ⁵1955);

editiones Somnii seorsum expressi: C. Meissneri ed. sexta a G. Landgrafio parata (Lipsiae et Berolini 1915), P. Boyancé (Etudes sur le Songe de Scipion, Burdigalae et Parisiis 1936, p. 13-35), A. Magariños (Cicerón, Sueño de Escipión, texto latino y notas, ed. altera Matriti 1950).

Editionibus Commentariorum Macrobiani in Somnium Scipionis usus sum L. Iani (in Operum Macrobiani vol. I, Quedlinburgi et Lipsiae 1848), F. Eyssenhardtii (ed. alt. Lipsiae 1893).

Cum iam in eo esset, ut chartae prelo subicerentur, accepi a viro doctissimo Jacobo Willis Londiniensi, qui novam editionem Macrobiani parat, lectiones Macrobianas omnium fere locorum, quos tractaveram, e sex codicibus adhuc ignotis et Parisino 6371 (= P) denuo collato excerptas. pro tanto beneficio ei gratias etiam hoc loco agere maximas mihi pergratum est. libri nunc primum excussi *diversi sunt*, ut ipsis Willisii verbis utar, *tam aetate quam indole: longe optimus est Parisinus 6370, saec. IX-X. post hunc sequuntur P, Parisinus 6371, ab Eyssenhardtio iam collatus, et Cottonianus Faustinae C. I, saec. XI-XII. dein quidam deteriores: α, Harleianus 5204, saec. XII, liber non spernendus; β, Harl. 2633, saec. XIV, haud magni pretii; γ, Harl. 2652, aliquanto antiquior, sed non magni faciendus, qui ultra II 4,7 non procedit; his adieci, ne specimen prioris generis deesset, δ, Harl. 5433, saec. XV, librum mehercle nequissimum.*

Andreas Thierfelder benigne totam hanc commentationem perlegit, consilio suo me adiuvit textusque hic illic perpoliendi mihi auctor extitit. pro ea re gratias ei habeo agoque maximas.

2) Cf. Macr. in Somn. I 1,8.

3) Nam ubicumque in codicibus recentissimis inter opera Tulliana exstat, e codicibus Macrobianis eam translata esse Ziegler suo iure contendit (Zu Text und Textgeschichte der Republik Ciceros, Hermes 66, 1931, 278 sqq.; in praefatione editionis tertiae et quartae p. XXXIV sq.). redeunt autem omnes, quotquot supersunt, codices Somnii ad unum idemque exemplum temporibus infimae antiquitatis vel potius media quae vocatur aetate ineunte ex integro opere Ciceronis Macrobio adiunctum (L. Castiglioni, Alcuni codici del „Somnium Scipionis“ di Cicerone, Rendiconti del R. Istituto Lombardo di Scienze e Lettere, Serie II, vol. 68, 1935, 332; in praef. editionis p. XXXIV; Ziegler in praef. p. XXXIV sqq.).

4) Ziegler, Hermes 66, 1931, 278 sq.

27sq.). nam Macrobianae excerpta eam formam exhibent hic illic novatam, quam auctor compluribus annis postquam libri de re publica pervulgati erant, in primo Tusculanarum disputationum (§ 53sq.) posuit. quae neglectis utriusque memoriae, Macrobianae dico et Tusculanarum disputationum, vitii manifestis his fere locis a codicibus Somnii differt:

135, 14⁵⁾ *sese movet* codd. (scripturae varietates: *de se movet* PRW² *se movet* WY *de se movetur* CEFZ⁶⁾); quas omnes e lectione *sese movet* corruptas esse infra docebo) *se ipsum movet* H⁷⁾ Tusc. Macr. (II 13, 1; 15, 18) — 135, 17 *principio* codd. *principii* H Tusc. Macr.⁸⁾ — 136, 1 *a se ipso moveatur* codd. (*ipso* om. CFZ) *se ipsum moveat* H Tusc. *ipsum se moveat* Macr. — 136, 6 *sese moveat* codd. *se ipsa semper moveat* Tusc.⁹⁾ *se ipsa moveat* H Macr. (cf. tamen II 15, 21 *se ipsam movet*) *se ipsam moveat* βδ¹⁰⁾.

Macrobius miro quodam modo non cum codicibus Somnii, sed cum Tusculanis consentire¹¹⁾ viri docti iam pridem animadverterunt. tamen Konrat Ziegler noster, qui de edendis libris politicis Tullianis optime meritus est, primus, ni egregie fallor, rationem huius rei explicare atque exponere aggressus est.¹²⁾ qui sibi persuasit excerpta Macrobianae ex exemplo quodam desumpta esse, quod originem traxisset aut ab eo exemplari, quod Cicero ipse domi suae servavisset et, postquam libri de re pub-

5) Numeri paginas singularumque paginarum lineas editionis Zieglerianae tertiae et quartae designant.

6) Per totam disputationem codices potiores tantum affero a Castiglioni et Zieglerio litteris maiusculis denotatas neglectis recentioribus, quorum varietates in apparatu Castiglioni passim leguntur.

7) H e Macrobio correctus est, cf. Castiglioni, Rendiconti 340 sqq.; praef. XXXV.

8) De 135, 18 *nec* vid. infra not. 47; Ziegler l. c. p. 272.

9) Ziegler et Castiglioni rettulerunt in Tusc. esse *ipsa*, cf. tamen apparatus ed. M. Pohlenz 1912.

10) Addendum existimaverim 135,26 *et consistat* codd. praeter HY *consistat* HY Tusc. Macr., nisi forte archetypus Tusculanarum et Macrobianae aequae peccaverunt. Ziegler Macrobius praeter codicem P (= Paris. 6371), Castiglioni totum cum libris Somnii facere perperam putare videntur. deest enim et in Bambergensi, qui Ziegleri iudicio (p. XXXV) Macrobianae commentariorum fons est purissimus, in Parisino 6370, qui est inter Willisianos longe optimus (cf. not. 1), in utroque Rehdigerano aliisque (ut Darmstadiensi et Gothano) nec non in codice H Somnii, quem e Macrobio emendatum esse iam diximus. in P autem legitur *consistat et*, nimirum quod particula *et* primo omissa et posterius e margine in textum illata suum locum non invenit.

11) De verborum inversione 136,1 cf. infra p. 284.

12) Hermes 66, 1931, 270-275.

lica editi essent, lectionibus quibusdam correctioribus inspecto iterum Platonis Phaedro¹³⁾ ornavisset, aut ab altero quodam volumine iussu Ciceronis iisdem lectionibus aucto. perspexerat enim vir doctus et acutus verba Graeca τὸ αὐτὸ κινῶν accuratius in Tusculanis quam in Somnio semper expressa esse neque sibi persuadere potuit Macrobius, cum ad hunc locum enarrandum atque illustrandum processisset, Tusculanas disputationes consuluisse earumque formam commentariis suis inseruisse. in quo virum sagacem nemo reprehendet. in opinionem autem suam Ziegler eo adductus est, quod ipse Cicero errata quaedam cum aliorum operum tum Rei publicae correctae esse voluit, postquam publici iuris facta sunt¹⁴⁾.

Ea re constituta iam fidentius progrediens alios quosdam locos Somnii extra syllogismum Platonis ab ipso auctore posterius mutatos esse Ziegler aut contendit aut certe suspicatur¹⁵⁾. sunt autem hi: 134, 3 *cum autem* codd. *re ipsa autem cum* Macr. — 134, 11 *principium* codd. *idem principium* Macr. (II 11, 3; cf. II 11, 15) — 130, 24 *cui* codd. (*cuius* A) *huic* Macr.¹⁶⁾.

Ita factum est, ut Ziegler lectiones codicum, quas memoravimus, omnes e Somnio expellendas in earumque locum Macrobianas substituendas esse censeret. quas praeter 130, 24 *huic* iam antea praestantia textus Macrobiani confisus in editionem suam primigeniam anno 1915¹⁷⁾ emissam, in alteram anni 1929 etiam illud *huic* receperat¹⁸⁾. Zieglero in plerisque accessit

13) Quid de ea re sentiam, videas infra part. II cap. 1.

14) Cf. K. Ziegler, Zu Cicero De re publica, Hermes 51, 1916, 264 sq.; ibid. 66, 1931, 268 sq.; R. Sommer, T. Pomponius Atticus und die Verbreitung von Ciceros Werken, Hermes 61, 1926, 412 sqq.; G. Pasquali, Gnomon 5, 1929, 503; Storia della tradizione e critica del testo², Florentiae 1952, 398 sq.; H. Emonds, Zweite Auflage im Altertum, Lipsiae 1941, 275 sqq. 332 sq.; idem totam Ziegleri sententiam de Somnio Scipionis exponit p. 333 neque tamen, quid ipse sentiat, indicat.

15) Hermes 66, 1931, 275 sq.

16) Quaedam Ziegler e superioribus quoque libris profert l. c. 270.

17) Improbante Edmundo Hauler, Kritische und erklärende Bemerkungen zu Ciceros Somnium Scipionis, Wiener Studien 42, 1920/21, 183 sqq., cuius sententiae obsecutus est Ziegler in editione minore a. 1923, cf. Hermes l. c. 272.

18) 135,14 *se ipsum* et 136,6 *se ipsa* iam pridem Baiter scripserat, item 135, 17 *principii* cum Osanno, Müllero, Landgrafio (Orelli in apparatu: *recte*, cum in textu habeat *principio*). 134,3 *re ipsa autem cum* codicum lectioni praetulerat Landgraf (cf. not. 59), ad quae cf. Orelli, Anal. IV 1 p. 575 (apud Osannum p. 403): *Recte observat Bouherius lectionem 're ipsa (s. reapse) autem quum ad idem' petitam esse et Macrobio II 11 nec temere reiciendam videri*. Mai, Moser, Orelli iam ediderant *ad idem principium*.

Ludovicus Castiglioni¹⁹), ipse quoque de edenda re publica Tulliana optime meritus, non quo ei persuasum esset scripturam Macrobianam ab ipsius Ciceronis exemplari correctiore profectam esse, sed quod Macrobius e fonte puriore hausisse certum esset²⁰).

Haec erat condicio totius quaestionis, cum in eam incidi²¹), quam quo diutius considerabam, eo minus sententia Ziegleri probanda mihi videbatur. principio, ut a minimis ordiar, miraberis lectiones Macrobianas paragraphorum 27 sq., quae cum Tusculanis congruant, ab ipso auctore substitutas esse, etiamsi Zieglero concesseris commentatorem, cum ad hunc locum explanandum se accingeret, ad Tusculanas disputationes minime accessisse. innumerabilibus enim lectoribus operum Tullianorum inde ab ipsius auctoris temporibus usque ad Macrobius aetatem Tusculanas cum Somnio comparare licuit tot saeculis inter utrumque intercedentibus²²). ex eo autem, quod auctor errores quosdam apertos, qui in unum alterumve volumen vitio memoriae vel mentis irreperant, corrigi iussit, nequaquam coniectari aut concludi licet eundem multis aliis locis orationem quamvis elegantem perpolire ad eamque normam omnes libros iam transcriptos divulgatosque emendare voluisse. qua in re laboriosa, si modo fieri potuit, profecto librarius Attici sui eiusdemque comitate haud mediocriter abusus esset. multoque minus veri simile est lectiones unius exempli a Cicerone domi suae servati vel ante annum 45 vel post eum annum vel etiam post flebilem viri honestissimi obitum ita pervulgatas esse, ut usque ad Macrobius oculos penetrare possent. etenim eo tempore, anno dico circiter 45, quo Cicero Tusculanas conscripsit, vel anno 43, quo mortem obiit, quis dubitat quin libri de re publica iam per totum orbem volitaverint, cum iam anno 51 Caelius familiari suo in Cilicia proconsuli commoranti scripserit libros eius politicos omnibus vigere (fam. VIII 1, 4)? quam ob rem non est

19) Nisi quod 135,14 C. F. W. Mülleri coniecturam *sēpse movet* amplexus est et 130,24 scripturam codicum *cui* intactam reliquit (sed adnotavit *'huic' . . . Ziegler fort. recte*).

20) Cf. praef. eius p. XXXIV sq. — H. Hommel Zieglerum ita comitatur, ut et coniecturas eius minus probabiles (131,8 *eam iam* 131,13 *quis hic, inquam, [quis] est*, cf. infra part. II cap. 7 et 10) suscipiat. 129,17 tamen *cum*, quod in editione a. 1946 retinuerat, a. 1953 e textu eiecit.

21) Tractavi Somnium Scipionis in exercitiis seminarii philologi Moguntini semestri aestivo a. 1957. sodalibus seminarii, si quid mihi in singulis rebus perpendendis profuerunt, ut C. H. Damm et Sr. Hedwiga Fritzen, gratias debitas hoc loco agere velim.

22) Cf. Pasquali, *Storia* 7.260; H. Erbse, *Gnomon* 31, 1959, 98.

mirandum eam lectionem correctiorem *Phliasios*, quam Cicero anno fere post (50) in altero de re publica libro (§ 8) pro *Phliuntios* in suo posuit quamque etiam Atticum familiarem in volumen suum ipsum inscribere voluit (Att. VI 2, 3), in palimpsestum Vaticanum iam non pervenisse. nihilo magis nomen Corfidii in codicibus orationis Ligarianae (§ 33) deest, quamvis auctor aliquanto postquam oratio edita erat, ut nomen vitio memoriae positum ex omnibus libris tolleretur, ab Attico petiverit (Att. XIII 44, 3)²³. nomen autem Aristophanis pro Eupoli in Oratore (§ 29) repositum esse eo minus mirum videtur, quod priusquam latius pervulgaretur, peccatum deletum esse facile intellegitur. namque Oratorem Tullius paulo ante medium fere mensem Septembrem anno 46²⁴) absolvit et iam mense Novembri ineunte Atticum, cum is Oratorem legeret, rogavit, ut non modo in libris suis, sed etiam in aliorum per librarios suos errorem demeret (Att. XII 6, 3)²⁵. cum autem Cicero amicissimo suo primo libros suos mittere solitus sit²⁶), pro certo habere possumus omnia exempla illo vitio caruisse. quis vero Zieglero crediderit Ciceronem procul dubio lectiones quas in Tusculanis posuit, easdem exemplo suo peculiari librorum de re publica inseruisse?

2

Sed quoniam de verisimilibus satis diximus, nunc ad maiora transibimus. namque iam non ἐξ ἐλκώτων, sed certis firmisque rationibus apparebit opinionem Ziegleri non modo non probandam esse, sed refelli posse ideoque plane reici ac repudiari debere. ex eo enim quod Macrobius semper fere conspirat cum Tusculanis contra codicum consensum, efficitur librum qui ipsi praesto erat, et eum codicem archetypum, ex quo omnes mem-

23) Scripta est epistula ad Att. XIII 44 a. d. XIII aut XII Kal. Sext. a. 45. iam a. d. VI aut V Non. Quint. se iam nihil ad Ligarianam addere posse profitetur, quod pervulgata sit (Att. XIII 20,2), paulo postquam ab Attico praeclare vendita erat (Att. XIII 12,2 scripta VIII Kal. Quint. 45; cf. Att. XIII 19,2 pridie Kal. Quint. 45: *Ligarianam, ut video, praeclare auctoritas tua commendavit. scripsit enim ad me Balbus et Oppius mirifice se probare ob eamque causam ad Caesarem eam se oratiumculam misisse. hoc igitur idem tu mihi antea scripseras*).

24) Fam. XII 17,2 *proxime scripsi de optimo genere dicendi*.

25) Cf. O. E. Schmidt, Der Briefwechsel des M. Tullius Cicero, Lipsiae 1893, 265 sq.

26) Cf. Sommer op. cit. 404 sqq. Oratorem tamen iam circiter medio mense Septembri a. 46 Cornificio promiserat (fam. XII 17,2 *dicam tuis, ut eum, si velint, describant ad teque mittant*).

branae Somnii pendent, inter se non contaminatos fuisse, sed utrumque indolem sinceram et propriam conservavisse. quid autem difficilius est ad credendum quam duas formas orationis Tullianae inde ab ipsius auctoris temporibus per dimidiam fere partem antiquitatis, 'per varios casus, per tot discrimina rerum' impermixtas usque ad Macrobianos tempora permansisse? scimus enim volumina cum ceterorum scriptorum optimorum tum Ciceronis a lectoribus, a grammaticis, a magistris, a discipulis denique²⁷⁾ iterum atque iterum revoluta, inter se collata et permixta, alia ex aliis emendata esse. fac tamen ita accidisse: quid sequitur? sequitur, quia utraque memoria ab ipso auctore derivetur neque ullus admittendus sit communis archetypus, ut menda communia inveniri non debeant nisi quae in utraque memoria per se nata esse putare possis²⁸⁾. atqui cum utramque scripturam Somnii, codicum scilicet et Macrobianos, recensebis, quaedam vitia Macrobianos cum codicibus communia reperies, quae nequaquam in utrisque sua sponte orta esse, sed ex uno eodemque fonte iisdem quasi sordibus turbato profluxisse liqueat. an quisquam tam audax erit, ut ea iam in exemplum ipsius auctoris irrepsisse²⁹⁾ neque ab eodem postea correctae esse censeat? quae vitia etiam Ziegler, ut par erat, animadvertit, sed tamen non vidit vir acutissimus se ipsum secum pugnare, cum Macrobianos memoriam ab ipso Cicerone repetendam esse arbitraretur. in promptu sunt haec fere:

1) 131, 13 unanimes est codicum et Macrobianos memoria *quid hic inquam quis est qui complet aures meas tantus et tam dulcis sonus?* nam quod in quibusdam libris (GRVL²⁾ *quis hic* scriptum videmus, non habet quicquam ponderis: a coniectura hanc lectionem originem ducere apparet³⁰⁾. scriptura ab omnibus tradita quo sensu accipienda sit, equidem nescire me confiteor. suo igitur iure eam adulterinam esse Ziegler strenue demonstravit³¹⁾, etsi a plurimis editoribus et ante et post eum retenta est³²⁾ neque

27) Cf. H.-I. Marrou, *Geschichte der Erziehung im klassischen Altertum*, hrsg. v. R. Harder, Friburgi-Monachii 1957, 407; Favonius Eulogius p. 21,30 Holder (= p. 49,16 van Weddingen, *Collection Latomus* 27, 1957).

28) Cf. ea quae de duabus formis Apologetici Tertulliani disserit Pasquali, *Storia della tradizione* 17 sqq.

29) Cicero opera sua librariis dictabat (*Att.* XIII 25,3), cf. Sommer 404.

30) De codd. rec. Macr. vide infra not. 57.

31) L. c. 299 sq.

32) Ut a Grutero, Maio, Iano et Eyssenhardtio cum in Macrobio (II 1,2; 2,21) tum in Somnio, a Baitero, Halmio, C. F. W. Müllerero, Landgrafio, Zieglerio ipso in editione a. 1915, a Castiglioni, Leonardo Ferrero, Antonio Magariños.

desunt, qui eam ut genuinam plane defendere ausi sint³³). nam abhorret a genere dicendi Tulliano uno pronomine interrogativo *quid?* totam sententiam significari, cuius sensus sit *quid est hoc?* immo pronomine *quid?* per omissionem, quam ἔλλειψιν Graeci vocant, interrogatur: *quid dicis?* vel *quid dicam?* vel quid simile. plerumque uno *quid?* rhetorice posito ab eo ipso, qui disputat vel argumentatur, oratio ad proximam sententiam vel argumentum provehitur³⁴). atque etiam, si solum pronomen *quid?* interrogationis totius vice fungeretur, ut illis, quos commemoravi, placet, *inquam* statim subsequeretur³⁵), non verbis alterius interrogationis interponeretur³⁶).

2) 130, 25 *ex quibus* (scil. septem globis) *unum globum possidet illa* (scil. stella) *quam in terris Saturniam nominant.* his in verbis omnes codices et Macrobius inter se consentiunt. attamen Franciscus Boll³⁷), cum auctor a summo ad infimum globum descenderet, recte suspicatus est legere oportere: *ex quibus summum possidet illa* testemque produxit Firmicum Maternum, qui floruit annis fere quinquaginta ante Macrobius. Firmicum in Math. I 10, 14 hoc toto de stellis vagantibus loco (§ 17) ad preces pro imperatore Constantino eiusque liberis concipiendas usum esse Boll sagaciter perspexit et certissimis argumentorum momentis demonstravit³⁸). quibus in precibus Saturnus in summo caeli vertice constitutus esse perhibetur. rationibus autem, quas Boll in medium protulit, superati Ziegler in editione tertia et Castiglioni *summum* in textum receperunt, cum ceteri editores recentissimi, quos quidem cognoverim, in lectione vulgata perseverent³⁹). gravior vero et nervosior lectio *summum* non solum vocem quasi pallidam et exsanguem *unum* facile vincit, sed etiam totius loci sententia, id quod recte monuit

33) Hauler l. c. 94; C. Brakman, Observations variae in Somnium Scipionis, Mnemosyne N. S. 51, 1923, 389.

34) R. Kühner-C. Stegmann, Ausführliche Grammatik d. lat. Sprache, Satzlehre, ed. tertia ab A. Thierfelder parata, Leverkusen 1955, I 277. 498 sq.

35) Cf. Ziegler l. c. et iam Osann 388: (lectio codicum) *non potest ferri ob insolitam verbi 'inquam' sedem, quod ad emphasis praecedentium hic non, ut alibi, apponitur, sed eodem modo quo c. 24.*

36) Lectionem traditam non sufficere sensit ipse librarius codicis Harleiani 2633 (= β), cum scripsit *quid hic, inquam, audio? quis est etc.*, cf. *quid inquam, quis est δ.*

37) Paralipomena I, Philologus 69 (N. S. 23), 1910, 170-172.

38) L. c. et Pauly-Wissowa, RE VI 2, 1909, 2368 sq.

39) Praeterquam quod A. Ragazzoni, Marci Tulli Ciceronis Somnium Scipionis, Augustae Taur. 1951, alteram Castiglioni editionem typis ad verbum expressit.

Boll, desideratur. cum enim Saturni globus infimo orbi lunari (131, 7; cf. 131, 24) opponatur, certe locus eius globi, a quo descendit auctor, definiendus erat, ut fere est etiam in altero de natura deorum⁴⁰). neque scripturae *summum*, qua globo Saturni certus assignatur locus, *summus ille caelifer cursus* (131, 22) repugnat, cum *summus* omnium novem globorum idemque extimus (130, 21) sit, neque *summus ipse deus* (131, 21), quippe quem principatum inter ceteros tenere hoc epitheto indicetur. accedit, quod *ex quibus summum* perfacile vitio aurium vel mentis librarii ad verba sibi dictata⁴¹) scribentis vel etiam oculorum, si scriptionem continuam uncialem consideres, in illud *ex quibus unum* depravari potuit, praesertim cum scriba paulo ante *quorum unus* (130, 20) legisset. abundant etiam alioquin variae lectiones similiter sonantes ab oculis nimium festinantibus vel a mente parum in laborem intenta profectae⁴²).

3) Quodsi Ziegler 128, 19 validissimis rationibus coniecturam *oportebit*, quam iam editio Mantuana a. 1555 protulerat

40) II 119: *quarum* (sc. stellarum) *tantus est concentus ex dissimilimis motibus, ut cum summa Saturni refrigeret, media Martis incendat, his interiecta Iovis inlustret et temperet, infraque Martem duae Soli oboediant, ipse Sol mundum omnem sua luce compleat, ab eo Luna inluminata graviditates et partus afferat maturitatesque gignendi*. cf. nat. deor. II 52; div. II 91; Macr. I 19,1. Saturnum plurimum omnium vagantium a terra abesse communiter opinabantur antiqui, cf. Hultsch, RE II, 1896, 1828 sqq.; Boyancé op. cit. 59 sqq.; W. Gundel, RE XX 2, 1950, 2017 sqq.

41) Cf. A. Dain, Les manuscrits, Parisiis 1948, 19 sqq. 41 sqq.; Pasquali, Storia della tradizione² 470 (= Gnomon 23, 1951, 233).

42) E libris de re publica duo alia exempla afferro: I 69 (= p. 43,12) *quandam-magnam* (cf. Ziegler, Hermes 51, 1916, 267); 134,8 *omnibus-hominibus* (vide not. ad II 9 ex.). magnam partem earum lectionum variantium, quas U. Knoche (Handschriftliche Grundlagen des Juvenaltexes, Lipsiae 1940, 301 sqq. 318 sq.) editoribus antiquis ascripsit, eiusdem generis esse contendo, ut puta 2,80 *porrigine-prurigine* 3,277 *defundere-diffundere* (cf. Somnium 130,1 *defugisse-diffugisse*) 5,116 *fumat-spumat* 6,46 *nimiam-mediam* 6,248 *rudibus-sudibus* 6,256 *manicae-tunicae* 6,347 *cohibe-prohibe* 7,59 *fontibus-montibus* (Knoche 190, n. 1) 9,25 *celebrare-scelerare* 9,148 *vocatur-rogatur* (cf. 5,63 *rogatus-vocatus*, Housman praef. p. XXV) 10,74 *nortia-nursia* 10,152 *opposuit-imposuit* 12,73 *mirabile-miserabile* 12,104 *furva-fulva* 13,57 *fraga-farra*. quod pleraeque variantes vulgariiores et tritiores sunt, naturae humanae sibi indulgenti semperque ad faciliora prona, quam librarii inscii sequuntur, non consilio cuiusdam correctoris, ut Knochio placet, debetur. quam ob rem qui arti criticae student, iure lectionem difficiliorem faciliiori anteponeere solent. confirmatur sententia nostra a Pasqualio, qui (Storia della tradizione 114 sqq.) similes rationes scripturae varietatum in Nonni Dionysiacis obviarum reddit ac nos ipsi apud Iuvenalem, nisi quod similem vocum sonum neglexit. cf. praeterea Pasquali 116 (de Sophocle et Euripide). 257.471.483 sqq.; L. Havet, Manuel de critique verbale appliquée aux textes latins, Parisiis 1911, §§ 851 sqq. 1009 sqq.; A. Dain op. laud. 40—43.

quamque Schiche probaverat, fortiter defendit^{42a}) contra Haule-
rum aliosque^{42b}) plaudente Ricardo Meister⁴³), eum sibi ipsum
officere apertum est⁴⁴). nam qui potest fieri, ut hoc loco et
Macrobius et codices universi eodem vitio laborent, si utrique
ad ipsum auctorem inter se non permixti recta via ascendunt?
an Macrobius et librarius archetypi codicum miro quodam casu
in eundem errorem incidisse putandi sunt? bene igitur Ziegler
fecit, quod quae ipse aliis quibusdam locis nimis temere coniecerat
(128, 16 *conferet*⁴⁵) et 133, 6 *constringat* vel *contineat*⁴⁶)),
in textum intrare prohibuit⁴⁷).

Dixerit fortasse quispiam has lectiones plerasque non esse
tales, quae indubitate menda accipiantur. nonne 131,13 *quid hic
inquam quis est* a plurimis editoribus signo interrogationis post
quid posito⁴⁸) in textu retentum est? atque lectio 130, 25 *unum*,
antequam Boll eam spuriam esse suspicatus est, nullius umquam
suspicionem movisse videtur. quin etiam ad unum fere omnes,
id quod iam diximus, eam postea servaverunt. denique 128,19
oportebit auctoritate codicum plane destitutum est neque quis-
quam praeter Meisterum et Hommelium in eo ad Ziegleri auc-
toritatem se applicavit.

42a) Hermes 66, 1931, 298 sq. addimus terminationes verborum maxime
depravationi obnoxias esse, praesertim compendiose scriptas.

42b) Hauler l. c. p. 93; I. Tolkiehn, Jahresbericht d. Philol. Vereins zu
Berlin 45, 1919, 81; A. Lörcher, Bursians Jahresbericht 208, 1926, 28; Ano-
nymus in: Bulletin de l'Association G. Budé, Suppl. crit. 2, 1930, 150 not.

43) Zur Rekonstruktion und Textgestaltung von Ciceros De re publica
I, Wiener Studien 58, 1940, 111. coniecturam Ziegleri amplexi sunt Boyancé
et Hommel.

44) Idem evenit, cum delet 131,14 *quis*, de quo videas infra part. II
cap. 7.

45) Videas apparatus criticum editionum eius. cf. R. Philipsson, Berl.
Philol. Wochenschr. 50, 1930, 446.

46) Hermes 66, 1931, 301.

47) Etiam 135,20 dixeris Macrobius eandem falsam lectionem *nec*,
quae in archetypo Somnii erat (cf. part. II cap. 4), habuisse, cum unus Parisinus
6370, si modo unus est, veram lectionem *ne* facile coniectando restituere
potuerit. equidem tamen a iudicio abstinere malim, cum Parisinus ille peranti-
quus optima notae esse videatur, quoad codices Macrobiani diligentius
conquirerentur et excuterentur eorumque fides certius constitueretur. e lectio-
nibus, quas Willis mecum communicavit, concludi posse videtur Paris. 6370
neque ex Somnio neque iterum e Tusculanis correctum esse, sed per se stare.

48) Eyssenhardt, ut est editor neglegentissimus (vid. quid de eius edi-
tione iudicaverit G. Wissowa, Wochenschr. f. class. Philol. 12, 1895, 689;
cf. Schanz-Hosius-Krüger, Gesch. d. röm. Litt. IV 2, Monachii 1920, 191;
H. Fuchs in: E. Norden, Die Römische Literatur⁵, Lipsiae 1954, 193), apud
Macrobius II 1,2 post *quid* omnino non interpunxit, II 2,21 et in continua
Somnii oratione (p. 657 editionis suae) signum interrogationis posuit.

Attamen tantum abest, ut quae quisque contra dicat, sententiam nostram labefactent et dissolvant, ut eam confirmet et comprobent. cum enim memoriam Macrobianam diligentius considerabis, magis magisque tibi persuadebitur eam ab exemplo archetypo Somnii simillimo ductam esse, quod vir quidam litteratus temporibus infimae antiquitatis ita correxisset et emendavisset, ut alterum volumen correctius non inspiceret. innumerae autem auctores antiquis recentioribusque temporibus eodem modo emendatos esse constat, cuius rei nunc quoque certa vestigia supersunt⁴⁹⁾. quid igitur mirum, si homo quidam optimis litteris institutus librum suum a maculis quidem foedisimis Marte suo depurgavit, eos tamen locos intactos reliquit, quos inquinatos esse ne suspicatus quidem est? hic emendator, quod 131, 13 *quid hic inquam quis est* recte se habere ratus praetermisit, eo minus vituperandus est, quod editores plurimi iique non deterrimi, qui mehercule melius de elocutione Tulliana iudicare potuerunt quam quisquam veterum temporibus infimae antiquitatis, lectione vitiosa orationem turpaverunt. quid dicam de forma 128, 19 *oportet*, quid de 130, 25 *unum?* quas quod librum suum corrigenti ne occurrit quidem suppositicias esse, nemo mirabitur. verumtamen eas eliminaturus fuisse putandus est, si forte in alio libro in genuinas sincerisque lectiones incurrisset.

3

Nunc recenseamus eos locos, ubi vestigia correctoris cuiusdam deprehendi licet, primosque eos, quos in suo corruptos esse sine dubio cognovit nec egregie emendavisse videtur.

1) 135, 9 sq. apud Macrobius scriptum videmus: *ut ille mundum quadam parte mortalem ipse deus aeternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet* idemque extat in libris EPF²⁵⁰⁾, quos lectionem Macrobius amplexos esse nemo negabit. codices ita inter se dissident, ut omnium corruptelas ex uno eodemque fonte uno solo verbo *ipse* turbato fluxisse appareat: *ut ipse mundus ex quadam parte mortalem ipse deus aeternus AUW²* (*ipse* casum insequentis verbi *mundum* sibi assimilavit) *ut ipse mundus . . . mortalis . . . HLRTY* (vitium progrediens iam voce *mortalem* potitum est) *ut ipse mundum . . . mortalis . . . G* (mendum praecedens ex parte correctum est) *ut mundum ex quadam*

49) Cf. Dain 106 sqq.

50) Nisi quod codices universi praebent *ex quadam parte*.

parte mortalem BCFVZ⁵¹⁾ (*ipse* praepropere ingressum expulsum est, priusquam vicinis nocere potuit, aut quae devastaverat, restituta sunt). scriptura Macrobianae certe a Cicerone non est profecta, quod voce *ille* importune posita structura verborum summa arte confecta foede turpatur. haud iniuria igitur omnes editores, qui quidem mihi innotuerint, praeter Boyancé lectionem codicum BCFVZ secuti sunt. corruptelas autem Macrobianae et codicum multo maioris partis quodam modo inter se cohaerere concedemus, scripturam vero librorum BCFVZ, quae labe carere videatur, ingenio correctoris debere facile intellegitur, si quidem omnes codices ex uno eodemque archetypo qui hoc loco vitiatum erat, derivati sunt⁵²⁾. nam si lectio testium BCFVZ ab archetypo sano prodiisset, non esset, cur eodem loco quo Macrobius ceteri codices omnes simili errore laborarent. correctorem illum, quem diximus, iam vitium apertum ante oculos habuisse pro certo habemus. quod tolli necesse erat, sed cum scriberet *ille mundum*⁵³⁾ loco temere castigato lectionem codicibus quidem meliorem, sed minime rectam aut qua verba Tulliana restituerentur, supposuit. unde efficitur ne hic quidem correctorem alterum librum ad suum emendandum ascivisse.

2) 131, 23 in plerisque codicibus, inter quos Parisinus A⁵⁴⁾ et Mediceus M uterque antiquissimus optimaque notae numerantur, legitur *acute et excitato movetur sono*, quod ex *acuto et excitato etc.* corruptum esse nemo nisi Ludovicus Ian non videt⁵⁵⁾. neque enim acute moveri caelum potest et *acuto et excitato* respondet ad *gravissimo* eiusdem periodi. quod peccatum sine dubio a scriptura unciali vel minuscula repetendum est⁵⁶⁾ eoque facilius se insinuare potuit, quod paulo ante *acute*

51) Deserit nos codex M, qui est inter vetustissimos et optimos. neglegenda est lectio manus alterius codicis L et Marc. ξ *ut ipsum mundum*, quod ex *ipse mundum* vel *ipse mundus* correctum esse apparet.

52) CEFZ falsam coniecturam amplexi sunt 135,14 (*de se movetur*), cf. infra part. II c. 2. iidem falso omiserunt 136,1 *ipso*; de 131,23 *acuto et excitato* UVZ videas mox.

53) Nam *ille*, quod ex praecedenti *ille princeps deus* falso repetitum videtur, cum sequenti *ipse deus aeternus* pugnare ei non videbatur.

54) Quod Castiglioni testatur. nam in Ziegleri apparatu non legitur, quid habeat A.

55) Ian scripturam Macrobianae *acute excitato movetur sono* etiam in Somnii introduxit, cum Eyssenhardt in Somnio peccatum codicum plurimorum servet.

56) Videas exempla eiusdem corruptelae a Zieglero e palimpsesto collecta, Hermes 51, 1916, 272. cf. 135,2 *vere-vero*. Habet §§ 644.657 talia ad minusculam refert.

sonent legerat librarius. textum sincerum servant cum codices nonnulli (CEFL²U¹VZ) tum Boethius, qui totum hunc locum in Inst. mus. I 27 ad verbum expressit, sive rectam lectionem in suo vidit sive eam coniecit. codices CEFL²U¹VZ textum purum coniecturae debere facilius concedes, si eosdem fere codices loco 135, 9 sq. quoque coniectando sanatos esse memineris. apud Macrobius autem (II 1, 3; 4, 1. 4) conspicimus *acute excitato movetur sono*⁵⁷⁾. unde colligi potest emendatorem idem vitium, quo plerique codices deformantur, vidisse nec coniunctione et suppressa plane sustulisse, sed tamen aliquatenus mitigavisse.

Addimus eos, quos iam supra in medium protulimus locos, quibus Ziegler vestigia ipsius auctoris sese emendantis animadvertere sibi videtur. etsi nobis persuasum est emendatorem longe alium fuisse atque Ciceronem, tamen iis, qui illis locis textum Macrobianum in suspicionem vocaverunt⁵⁸⁾, libenter assentior. nam 134, 3 multo facilius creditur verba *cum autem* ab homine docto consulto in illud *re ipsa autem cum* mutata esse⁵⁹⁾, quo sententia totius loci dilucidior evaderet, quam primum negligentia alicuius librarii *re ipsa* omissum, deinde verba *autem cum*, a quibus nova periodus incipere non posset, a correctore inversa esse. quod autem 134, 11 apud Macrobius (II 11, 3; cf. 11, 15) legimus *ad idem principium*, Ziegler errare mihi videtur, cum Brakmannum⁶⁰⁾ videlicet secutus contra Haulerum⁶¹⁾ contendit

57) Nam sicubi reperitur *acute et* vel *acuto et* (cf. Iani apparatus criticum), certe e contaminatione vel coniectura provenit. quae sententia nunc confirmatur codicibus a Jacobo Willis comparatis. cum enim praestantiores (Paris. 6370 et 6371, Cotton.) praebeant *acute excitato* (II 4,1 et 4), in deterioribus *acute et excitato* vel *acuto et excitato* legitur (in γ II 4,1 *excitator*, videlicet propter insequens *movetur*, cf. infr. II 4). deteriores autem e Somnio contaminatos esse iam delectu lectionum Willisiano aut arguitur aut certe suggeritur: 131,13 *quis hic, inquam quis est* $\alpha\gamma$ (= GRVL² Somnii, *quid* Macr.) 132,21 sq. *in angustis locis* γ (*angustis in locis* Somn. in om. Macr.) 133,8 *insula est* II 5,6 α II 9,6 (= p. 615,12 Eyss.) $\alpha\beta\gamma$ (= Somn., *est insula* Macr.) 134,12 *huius* γ (= Somn. praeter AE, *cuius* Macr.) 135,9 *ex quadam* γ (= Somn., *ex om.* Macr.) 135,26 *et consistat* $\alpha\delta$ Paris. 6370 m. alt., Cotton. *et ideo consistat* β (*et consistat* Somn., *et om.* Macr. Tusc., cf. not. 10) 136,1 *sese moveat* $\alpha\gamma$ (= Somn., *se ipsa moveat* Macr. *se ipsam semper moveat* Tusc.).

58) Hauler 183 sq.; Lörcher l. c.; Ziegler, Hermes 66, 1931, 275 sq.; R. Meister l. c.

59) Qua de re Castiglioni primo (Rendiconti 351) idem senserat atque Hauler, deinde Macrobio accessit (in adnotatione loco, quem modo memoravi, subiecta et in editione), quod res vera hominum opinioni opponeretur, id quod iam Landgraf 29 monuerat.

60) Brakman 382 sq. *idem* propter anaphorae figuram tuetur. sed verba Ciceronis (134,3 sq.) *idem unde semel profecta sunt*, idem valent quod *principium* (non quod *idem principium*, ut vult Ziegler 276 not.).

consummationem totius expositionis de anno vere vertenti seu magno indigere verbo *idem*. itaque non cum Hardero⁶²⁾ *principium*, sed cum Haulero et Ricardo Meister *idem* adiectum esse puto ab homine erudito, quo sensus loci clarius eluceret et oratio concinnius elegantiusque procederet⁶³⁾. iam pridem ii qui arti criticae studebant, breviorum aliquam lectionem, nisi testium vetustorum et gravium auctoritate penitus destitueretur, in universum verbosiori praeferendam esse statuerunt⁶⁴⁾.

Vidimus librum, quo Macrobius usus est, correctum et limatum esse nonnullis locis ab homine non plane rudi. quid impedit, ne eundem arbitremur, cum Tusculanas legeret et in syllogismum celeberrimum Platonis e Graeco translatum incidisset, lectionibus, quas meliores esse intellexisset, libros de re publica ornasse? quod ut faceret, verbis ipsius Ciceronis (Tusc. I 53) commotus esse videtur dicentis rationem Platonis, quae a Socrate in Phaedro explicata esset, a se positam esse in sexto de re publica. aliquanto vero audacius progrediens haud absonum esse existimaverim coniectare virum illum litteris bene institutum non alium fuisse nisi ipsum Macrobius⁶⁵⁾. quem scimus non solum philosophum Platonicum, sed etiam grammaticum haud segnem fuisse, cuius e tractatu de differentiis et societatibus Graeci Latini que verbi excerpta satis ampla ad nos pervenerunt. nam is, ut erat litterarum Graecarum peritissimus⁶⁶⁾, inspecto Graeco exemplari, seu ipsum Phaedrum legit seu, quod est veri similis, rationem illam Platonis in quodam

61) Cui auxilio venerat iustis de causis, qui de altera Ziegleri editione iudicavit in Bulletin G. Budé p. 149.

62) Über Ciceros Somnium Scipionis, Schriften der Königsberger Gelehrten Gesellschaft, Geisteswiss. Kl. 6, 1929, 3, p. 130,1.

63) Cf. iam Osann 404 sq.: *Expunxi quod ab omnibus editoribus recc. vulgo inseritur 'idem', quo minime opus videtur. idem contra supplemento eget, quod e verso 3 sq. quoque intellegitur: ad idem unde semel profecta sunt* (cf. Censorin. 19,1 *eodem unde profectus est*). quod iam recte asseruit Ziegler (in nota p. 276). si *principium* esset glossema e margine in textum illapsum, ut Hardero placet, certe non in locum pronominis *idem* substitutum, sed ei additum esset.

64) Cf. Pasquali, Storia della tradizione etc. p. 11.

65) Eundem iam Lörcher auctorem lectionum 134,3 *re ipsa autem cum* et 134,11 *ad idem principium* esse suspicatus est.

66) Cf. K. Mras, Makrobius' Kommentar zu Ciceros Somnium. Sitzungsber. Preuß. Akad., phil.-hist. Kl. 1933, VI, p. 232-286; P. Henry, Plotin et l'Occident, Lovanii 1934, 146-192 (Spicilegium Sacrum Lovaniense 15); P. Courcelle, Les lettres grecques en Occident de Macrobie à Cassiodore², Parisii 1948, 3-36; Macrobius, Commentary on the Dream of Scipio, transl. with introd. and notes by W. H. Stahl, Novi Eboraci 1952, 25.

commentario neoplatonico nactus est⁶⁷), formam Tusculanarum disputationum accuratorem esse quam Somnii certe perspexerat⁶⁸). quis enim scire potuit omnem hunc locum (qui est de aeternitate animi) de Phaedro Platonis ad verbum a Cicerone translatum esse (Macr. II 13,6), nisi qui exemplum Graecum cum Latino comparavit? confirmat hanc opinionem ipse Macrobius, cum nos docet *se ipsum movet* dici de αὐτοκινήτω (II 15, 19.22.32). quam lectionem variantem in exemplis Platonis antiquis loco vocis ἀεικίνητον a Cicerone expressae (= *quod semper movetur*) fuisse testantur Hermogenes, Hermias, Simplicius, Stobaeus nec non papyrus Oxyrhynchia 1017⁶⁹). Macrobius autem quam diligenter scripta Tulliana ad philosophiam spectantia perlegerit, compluribus locis, quos Saturnalibus inseruit, satis demonstratur⁷⁰). nemo etiam explanatorem utique grammaticum, priusquam Somnium Scipionis illustrandum susciperet, exemplum suum vitiis manifestis liberavisse infitiabitur.

At compertum habemus Q. Aurelium Memmium Symmachum⁷¹), consulem ordinarium anni 485, supplicio affectum a

67) Porphyrius quidem, quem fontem Macrobius praecipuum esse volunt plerique investigatores eius rei, Phaedrum non explanavit, sed Macrobius in rationem Platonis de aeternitate animi in Porphyrii libro de anima ad Boethum incurrere potuit. quem librum Macrobius in Phaedri loco illustrando secutum esse sibi persuaserunt Mras 276-78 (praeter Plotinum) et Courcelle 31. in enarrando loco de morte voluntaria (I 13) Franciscus Cumont Macrobius neque Phaedonem neque Plotini Enneadas ad manum habuisse affirmat, sed unum opus Porphyrii de regressu animae (Comment Plotin détourna Porphyre du suicide, Rev. ét. gr. 32, 1919, 113-120) assentiente Courcelle 25 sqq. (contra P. Henry et K. Mras 257 sq. 281); cf. Stahl 26. ipse Macrobius confitetur (II 15,2) se, quae Platonici ad Aristotelem confutandum Platonemque adiuvandum scripsissent, collecta in unum continuae defensionis corpus coacervavisse, quaedam et ipsum adiecisse. in enumerando Platonico ordine stellarum vagantium (I 21,27) non plane cum Platone (Tim. 38 D; Rep. X p. 616 E) congruit, unde eum Platonem ipsum non adhibuisse efficitur (cf. Stahl 36).

68) Tamen vitium Tusculanarum 135,26 (cf. supra not. 10) in Somnium transtulisse videtur, nisi forte et posterius culpa alicuius librarii e Macrobio excidit. non animadvertisse videtur faciliore scriptura Tusculanarum sensum exemplaris Graeci hoc loco non accurate exprimi. a quo errore nescio an ipse Cicero in conscribendis Tusculanis non caverit, cum locum Platonicum a se Latine versus neglecto exemplo Graeco hic illic leviter perpoliret (cf. infra part. II cap. 2).

69) Cf. Pasquali, Storia 258; P. Maas, Textkritik³, Lipsiae 1957, § 37.

70) Cf. locos in indicem Eyssenhardtii coactos (p. 670).

71) De quo videas H. Usener, Anecdoton Holderi, Bonnae 1877, 17-36 (Festschrift zur Begrüßung der XXXII. Vers. deutscher Philol. u. Schulmänner zu Wiesbaden); M. Schanz-C. Hosius-G. Krüger, Gesch. d. röm.

Theodorico rege anno 525, et ipsum litteris cum Latinis tum Graecis institutum⁷²⁾, exemplum suum Commentariorum Macrobiani in Somnium collato altero codice Ravennae emendavisse et distinxisse⁷³⁾. a tanto viro, in litteris summa laude florenti⁷⁴⁾, cui maximus illius temporis grammaticus Priscianus tria opuscula dedicavit⁷⁵⁾, certe non alienum erat munere illius, quem memoravimus, correctoris fungi. cui opinioni tamen obstat, quod miro quodam modo, quotiescumque dilucidatio Macrobiani ad orationem Tullianam expressius refertur, verba Ciceronis formam Tusculanarum servare cognoscimus: cum sescenties *se movere* dicat explanator⁷⁶⁾, *se ipsum movere* scribit, ubicumque ad ipsa verba Ciceronis recedit⁷⁷⁾. inde efficitur, ut Macrobius textum a Tusculanis propositum ante oculos habuisse existimandum sit. licet enim Symmachus rationem Platonis a Macrobio in alterius libri capite 13 (§ 1—5) exscriptam ad normam Tusculanarum retractaverit, quis audebit contendere eundem cetera quoque frustula capituli 15 quamvis inter verba interpretis abscondita attigisse? praeterea subscriptione Symmachi in calce prioris libri posita indicari videtur eum in posteriore libro emendando iam non elaboravisse. a recta igitur via non aberrabimus opinantes eum ne cetera quidem, de quibus egimus, correxisse,

Litt. IV 2, Monachii 1920, 83 sq.; W. Kroll-F. Skutsch, W. S. Teuffels Gesch. d. röm. Literatur III⁶, Lipsiae-Berolini 1913, p. 473, § 477,4; O. Seeck, RE IV 1, 1931, 1160; Courcelle passim (vid. indicem).

72) Cf. Boeth. de inst. arithm. p. 4,25 Friedlein. de litteris Graecis Symmachi instinctu apud Romanos reviviscentibus cf. Courcelle 304 sqq.

73) Extat subscriptio in calce prioris libri in quibusdam codicibus (cf. Iani editionem p. 130, praef. p. XLVII) haec: *Aur. Memm. Symmachus v. c. emendabam vel disting(uebam) meum Ravennae cum Macrobio Plotino Eudoxio v. c.* cf. Schanz-Hosius 84; Teuffel-Kroll-Skutsch III⁶ p. 385, § 444,8. ex exemplo Symmachiano omnes codices procreatos esse suspicatur Iani (p. LXXIX). in eadem opinione est Dain 107 (sed cf. Pasquali, Storia 478).

74) Ennodius paraenesin didascalicam ei misit, ut, quod in ea emendatione dignum esset, corrigeret (ep. 405,2 p. 285 Vogel). gener eius Boethius ad eum arithmeticam misit optavitque, ut supervacanea resecaret, hiantia suppleret, errata reprehenderet (arithm. p. 5,14 sq. Friedlein). tractatum quoque de trinitate Boethius socero suo dedicavit. Cf. Priscian. Gramm. Lat. III p. 405 K.

75) Scilicet *De figuris numerorum*, quem libellum iussu Symmachi composuerat, *De metris fabularum Terentii, Praeexercitamina* (Priscian. l. c.). cf. Courcelle 309.

76) II 14,25 (bis). 28.30 (quater). 31 (bis). 32.33.35 (quater); 15,21 (bis). 25; 16,4 (*motum se moventem*). 5.7.12.20 (bis). — *se ipsum movere* in loco Aristotelico e Graeco converso bis obviam est, II 14,16.18, in eodem *anima ipsa se moveat* II 14,28.

77) II 15,18.19.21 (bis). 22; cf. 26.

sed erroribus manifestis demptis contentum fuisse⁷⁸⁾. sequitur, quae nunc inveniuntur in Macrobianae explanatione peccata aperta, postea librorum negligentia orta esse⁷⁹⁾.

4

Quodsi Ziegler (p. 274 sq.) negat Macrobianam Tusculanarum usum esse, quod certe nos de ea re docuisset, quaerimus, cur nos admoneret se e Tusculanarum interpretationem Latinam Platonice rationis de aeternitate animi correxisse, cum id plane nihil ad rem interpretandam et explanandam attineret? etiam alioquin textum Tullianum hic illic leviter perpolire Macrobianus non reformidavisse videtur, etsi verba Ciceronis aequae ac Vergilii tamquam ex oraculo edita esse putat⁸⁰⁾, neque tamen nos de ea re certiores fecit. nam non solum emendationes, quas supra tractavimus, ei tribuimus, sed etiam alia quaedam, quae apud Macrobianum consulto alterata videntur, praeterquam quod verba genuina compluribus negligentia transcribentis mutata esse ani-

78) In quo nobis Ianum assentiri gaudemus dicentem (praef. p. XLVIII) non cogitandum esse de recensione, quam nos dicamus, operis Macrobiani, sed constituisse eius operam in corrigendis librorum mendis.

79) Utrum talia vitia omnibus codicibus communia inveniuntur, quibus universam memoriam ad archetypum exemplo Symmachi posteriorem redire probetur, necne, re parum investigata diiudicare non audeo. in testimoniis Macrobiani duo eius modi errores mihi inesse videbantur, dum solae editiones Iani et Eyssenhardtii suppetebant. alter est 129,4 *tamen pro tam*, quod peccatum ortum est propter praecedens *etsi*, cui respondet *quaesivi tamen*. e silentio editorum conclusi huic errori omnes libros parere. nunc autem video e septem codicibus a Willisio collatis unum solum Cottonianum ei obnoxium esse, alios rectam lectionem sequi. credideris quidem iustis de causis Harleianae 2633,2652,5204,5433 et Paris. P (de quo vid. mox) si non e coniectura, tamen e Somnio correctos esse. manet tamen testis gravissimus Parisinus 6370 (de quo vid. supra). altero loco, 130,1, quo omnes fere codices Macrobiani *diffugisse* praebent, in Salisburgensi nunc Monacensi S (s. XV) et in Cottoniano, quibus accedunt editiones veteres complures, recte legitur *defugisse*. sed haud scio an rectam lectionem aut e collatione aut e coniectura arripuerint: nam idem codex P in Somnio cum ceteris *defugisse* exhibet et codex S, recentissimae aetatis, cum quo consentire solet P, Iano *ex exemplari, quod homo quidam doctus ad suum arbitrium correxerit, fluxisse videtur* (praef. LXXIX). summa est: exspectamus editorem, qui codices Macrobiani accurate excutiat eorumque necessitudinem vicissitudinemque quam diligentissime investiget. confidimus tamen ea, quae Castiglioni (praef. XXXIV) de Somnii textu Macrobio adiecto statuerat, etiam ad Macrobianum ipsum pertinere. *centum enim, ait, quamvis novos libros contuleris, novos quidem errores, germana scriptoris verba aut traditis meliora vel probabiliora vix invenies.*

80) I 6, 44; II 5,7; 7,1,7; 8,1.

madvertimus. de ea re paulo fusius disputare liceat, quo indoles memoriae Macrobianae accuratius percipiatur.

Ordine verborum permutato codices Somnii et Macrobius his fere locis inter se dissentiunt: 129,21 *hoc templo* codd. praeter V *templo hoc* V Macr. — 131,25 sq. *medium locum mundi* HLMWY *medium mundi locum* cett. *mundi medium locum* Macr. — 133,8 *insula est* codd. *est insula* Macr. (II 5,3.6; 9,6) — 133,20 sq. *a patribus acceptas* codd. *acceptas a patribus* Macr.

Verborum auctoris in singulis Somnii codicibus persaepe inersorum iam pridem rationem viri docti G. Pasquali eiusque discipulus A. Ronconi⁸¹⁾ reddiderunt. suo quidem iure Pasquali verba plerumque a librariis, quippe qui collocationem verborum prosae orationis parum curaverint, inversa esse docet. Ronconi autem demonstrat clausulas ad leges cursus rhythmi a librariis accommodari solere. paulo post Castiglioni⁸²⁾ sibi persuasit reversiones alias negligentia librariorum irrepsisse, alias consulto ab ipsis illatas esse. maximam autem partem eo emersisse, quod verba in exemplis archetypis quae vocantur hic illic omisa et posterius in codicum marginibus apposita non suo quodque loco in textum penetravissent. insolitam autem inversionum multitudinem eo explicari, quod Somnium ex integro opere de re publica excerptum et seorsum per mediam quae vocatur aetatem iterum atque iterum studiose lectitatum ingenti acervo notarum criticarum vel grammaticarum quasi obrutum et involutum esset. Macrobius vero reversiones cum neque Pasquali neque Ronconi neque Castiglioni respexerit, quaerendum est, quid de iis sentiamus.

Ac primum quidem miramur cum ceteros editores tum Zieglerum et Castiglionium omnibus, quos modo enumeravimus, locis non a Macrobio stare, sed codicum Somnii auctoritatem sequi. quod haud iniuria eos fecisse existimaverim. nam 129, 21 non est, cur pronomen demonstrativum solitum locum, qui ante nomen substantivum ei assignatus est, deseruerit. 131, 25 sq. verborum conclusio apud Macrobius certis numeris eget, cum codices HLMWY clausulam veram, ceteri clausulam licitam, ut ait Thaddaeus Zielinski, clausularum investigator acerri-

81) Pasquali, Storia 116 sqq.; A. Ronconi, Il „cursus“ medievale e il testo di Cicerone, Studi ital. di filol. class. N. S. 11, 1934, 108 sqq.

82) Rendiconti 349 sq.

mus⁸³), exhibeant. (lectio plurimorum codicum⁸⁴) *medium mundi locum* traiectione pulcherrima, quae eadem est in primo Tusculanarum (§ 68)⁸⁵ tam strenue defenditur, ut Guilelmus Kroll⁸⁶) eam argumento a clausularum numeris petito expugnare non valeat). 133, 8 codicum scriptura numero dicretico acatalecto, quem Cicero post dicreticum catalectum maxime diligit⁸⁷), commendatur⁸⁸). 133, 20 sq. autem traiectio arte confecta *laudes unius cuiusque nostrum a patribus acceptas*, qua verba interiora exterioribus circumclausa et involuta altera alteris opponuntur, ut perpulchra chiasmi figura efficiatur, a Macrobio ita frangitur, ut cursus tardus existat⁸⁹). accedit, quod 136,1 non Macrobiū scriptura *ipsum se moveat*, sed Tusculanarum *se ipsum moveat* ad auctorem redire satis arguitur his locis: 135,14 *se ipsum movet* 136,6 *se ipsa moveat* 136,1 in codicibus *a se ipso moveatur*⁹⁰).

Atque hactenus de reversionibus. videamus nunc, quibus locis Macrobius certe orationem Tullianam non satis diligenter transcripserit. ac primum in loco 129,2 laudando sibi non constat: lectionem codicum Somnii *harum* profert I 9,1, *earum* autem posuit I 8,1. simili modo verba Ciceronis 130,9 *praeclara cetera*, in quibus omnes codices consentiunt, integra praestat I 16,1, cum I 4,5 *cetera* omittat deceptus videlicet simili terminatione, quam *δημοιοτέλευτον* Graeci appellant. 129,9 autem codices veram et genuinam scripturam *vestra vero quae dicitur vita*

83) Das Clausegesetz in Ciceros Reden, Lipsiae 1904, 15 et passim. de clausulis Tullianis uberrime egit etiam L. Laurand, Etudes sur le style des discours de Cicéron³, Parisiis 1928-1931, II 156-201 (iudicium de Zielinskio p. 197-201).

84) E codicibus, qui habent *medium locum mundi*, MLW certo necessitudinis vinculo inter se conciliati sunt, cf. Castiglioni 334 sq.

85) Sed nat. deor. II 84 *medium locum mundi*; II 91 *in media parte mundi*.

86) Gnomon 12, 1936, 620. quid argumenta clausulis nisa valeant, docent Zielinski 187 sqq., Laurand II 215-219, Pasquali l. c.

87) Zielinski 63 sqq. et tabula in calce voluminis eius.

88) Collocationem copulae conferas cum 129,26 *retinendus animus est*, quod est in plerisque libris Macrobianis (I 13,4 et 14,4). magna pars codicum hunc ordinem invertit (*retinendus est animus*). congruunt tamen cum Macrobio codices praestantiores ABMP (hic Ziegleri apparatus deficit, ut lector dubius haereat, quid tradiderint AGHLZ). cum cursus q. d. vetet structuram finiri voce monosyllaba (Ronconi 106), Ciceronis liquet esse *animus est et insula est* (cf. Ronconi 117.119).

89) De origine cursus eiusque propagatione videas praeter Ronconium M. G. Nicolau, L'origine du „cursus“ rythmique et les débuts de l'accent d'intensité en latin, Parisiis 1930, 100 sqq.; Laurand III³ 353-361.

90) 135,24 contra legitur *quod ipsum a se movetur* Macrobio cum codicibus conspirante.

servant, quibus verbis apud Macrobius inseritur *esse*, ut legatur *vestra vero quae dicitur esse vita*. perfecta porro tertiae pluralis in *-ere* desinentia a Ciceronis genere dicendi aliena sunt⁹¹⁾ ideoque haud immerito forma Macrobianae 130,5 *vixere* ab omnibus editoribus repulsa est. aliae quoque lectiones Macrobianae, quamquam sensu non plane cassae sunt, codicum memoria inferiores sunt, velut 129,3 *servatores* (I 8,1 et 9,1) pro *conservatores* 135,20 *non* (II 13,3) pro *numquam*. eiusdem generis est, quod 133,7 pro *angustata* apud Macrobius (II 5,3; cf. 9,8) *angusta* videmus. lectio enim codicum cum ab Osanno tum maxime ab Haulero⁹²⁾, nuperrime etiam a Ronconio⁹³⁾ egregie defensa ut lectio difficilior Macrobio praefenda est.

Neque tamen hosce errores omnes ipsi Macrobio imputabimus. cur enim verba auctoris e melioribus deteriora efficeret, ubi ea sine labe esse intellexeret? neque unum Macrobius tam negligentem fuisse arbitrabimur, ut totiens in transcribendo inscius lapsus sit. immo magis consentaneum esse videtur vitia, quibus singuli librarii deinceps orationem inquinaverunt, ut fere fit, in archetypum omnium codicum 'sicuti in sentinam confluisse' neque Symmacho contigisse, ut omnia e textu exterminaret. verumtamen quaedam imprimisque reversiones verborum ipsi commentatori vitio vertenda esse videntur. mirum enim est memoriam Macrobianam ubique ordini verborum codicibus servato inferiorem esse. neque id eo fieri potuit, quod commentarii saepius quam ipsa fabula descripti sunt. cur enim idem non accidit in ceteris peccatis, quibus codices Macrobius fere aequare videntur? accedit quod Macrobius ipse verba Ciceronis invertisse arguitur. nam locum 133,8 *est insula* quater profert neque fieri potuit, ut librarii inscii identidem eodem modo peccarent. quid? lectio *vixere* (130,5), quae poeticam redolet, nonne consulto substituta esse videtur, cum talia saepius apud Macrobius, non in Somnio tradita esse doceat Castiglioni⁹⁴⁾?

91) Cf. F. Sommer, Handbuch der lat. Laut- u. Formenlehre, Heidelbergae 1948 (nova impressio editionis a. 1914), p. 578 sqq.; Leumann-Hofmann p. 338. in Somnio octies tertia pluralis perfecti occurrit semper in *-erunt* desinens.

92) Osann 398; Hauler 182, cui plaudunt Brakman 383 et Anonymus in Bulletin Budé 148 sq. quae Landgraf 31 sq. ad lectionem Macrobianam defendendam affert, nihili existimanda sunt. Ziegler iam in altera editione se rationibus Hauleri victum esse concessit, cum *angustata* de exsilio in suam sedem revocavit. *angusta* apud Maium, Moserum, Halmium, Baiterum et in Ziegleri editione prima legi.

93) Osservazioni sulla lingua del „Somnium Scipionis“, Studi in onore di G. Funaioli, Romae 1955, 400 sq.

94) Rendiconti 344.

Ex his, quae exposui, argumentorum momentis satis do-
cuisse mihi videor p r i m u m Zieglerum errare cum contendat
et probare conetur ipsum Ciceronem Somnium Scipionis, post-
quam libri de re publica divulgati essent, perpolivisse formam-
que correctiorem a Macrobio servari, d e i n d e memoriam
Macrobianam ab homine quodam Graeca lingua litterisque
erudito ex exemplo archetypi codicum Somnii simillimo nullo
quidem alio codice Rei publicae, sed certe Tusculanis disputa-
tionibus adhibitis antiquitate iam vergente confectam esse,
d e n i q u e veri simile esse emendatorem illum neminem alium
nisi ipsum Macrobius fuisse. novissimi igitur editores Ziegler
et Castiglioni qui Macrobius puriorem quam codices Somnii
fontem orationis Tullianae esse arbitrantur, falluntur haud
dissimiliter iis, qui exemplaria veterum scriptorum temporibus
litterarum renascentium a viris doctis temere correctae et emen-
datae specie honestatis, quam prae se ferunt, decepti pro optimis
quaeque verba auctorum sincera plerumque servaverint, habe-
ant. ergo iustas ac debitas laudes tribuamus iis criticis, qui
veram indolem textus Macrobiani ingenio praecipientes codici-
bus quasi praerogativam extorqueri noluerunt⁹⁵), inter eosque
ipsum Castiglioni statuentem (p. 351) auctoritatem codicum
potiorum prae Macrobio contemnendam non esse nisi in erroribus
manifestis aut lectionibus plane inferioribus. utinam vir
doctus hanc tam sanam legem ipse semper secutus esset!

Moguntiae

M. Sicherl

MISZELLEN

Nochmals zu Platon, Pol. 514 B.

Die schwierige Stelle, auf die ich nochmals die Aufmerksamkeit
lenken möchte, lautet:

*ὅρα τοίνυν παρὰ τὸ τεῖχλον φέροντας ἀνθρώπους σκευή τε παντοδαπὰ
ὑπερέχοντα τοῦ τείχλου καὶ ἀνδριάντας καὶ ἄλλα ζῆα λίθινὰ τε καὶ ἔύλινα
καὶ παντοῖα εἰργασμένα.*

O. Becker hat in dieser Zeitschrift, 99, 1956, 201 auf die Schwierig-
keit hingewiesen, die das Nebeneinander der an der Mauer vorbeigetragenen
Gegenstände bereitet und in leichter Änderung statt *σκευή τε σκευή γε* ge-

95) Post absolutam totam disputationem bis tantum me ab Hauleri
sententia recessisse animadverti, scilicet 131,14 (*quid hic inquam quis est*)
et 128,19 (*oportet*), Zieglerum identidem secutum esse (128,19 *oportebit*
130,25 *summum*).